



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Jacobus Nisib. E. 15. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

15. Julii. VITÆ SANCTORVM. 349  
precibus & assiduis jejuniis munivit, dum à præ-  
sentibus in morte Cœlitibus ad stipendia illis ver-  
bis est evocata: *Veni Sponsa Christi TVSCANNA, ac-  
cipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in ater-  
num.* Similem cupis Mariane? vincenti dabitur.  
Ex Ferrar.

*Omni studio cave tibi à corpore mortuo in incendio  
cupiditatis. Objice menti tuæ ignem illum inextinguibili-  
lem, & vermem illum, qui non habet finem; & carnis  
inflammatio confestim extinguetur.* S. Ephrem. de  
Exercitatione.

S. JACOBUS NISIB. E. 15. Julii.

**I**LLE JACOBVS est, qui Pontifex Nisibensis mira  
loppidò egit. Pauca è multis hæc habe. Contra  
jus & æquum sententiam nescio quis Judex tulit.  
Hic contra Judicem JACOBVS testem produxit  
saxum verbo in sexcentas partes diffractum. Sub  
aliud tempus hominem Divo objecerunt fictè  
mortuum. Ille precibus primò verò mori, tum  
precibus iterum non fictè fecit in vitam resurgere.  
Jam Saporì Persarum Regi urbem obsidenti, ita  
Numine volente, ex muro ipse Imperator esse est  
visus; mox in ejus exercitum ingens culicum  
agmen armavit, castrisque tam levi milite exiit.  
Illud non minùs lepìdum est. Lavabant ad fon-  
tem non Dianæ sed Veneres. Et facilè, ne Actæon  
fieret, JACOBVS oculis imperasset, sed aures invi-  
tas procax sermo & leno risus pulsabat. Succensuit  
improbitati & suas fonti aquas ademit, puellis in-  
tempestivos canos addidit. Illicet ad horum aspe-  
ctum erubescere denique leviculæ, & lacrimis  
fontem velle reparare. Et hunc quidem restituit  
civibus Pontifex, at canos (quò cum his saltem

saperent) perpetuos esse iussit. Ex *Surio & Virid. Raderi.*

*Nullus homo sibi solum vivit, & quanto scunque exemplo sancta vita edificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem retributionis beata vita accipiet & quantiscunque exemplum male conversationis, etiamsi eum non sequantur, prebuit, pro tantis se malis noverit rationem redditurum. S. Aug. serm. I. de temp.*

S. VITALIANUS EP. 16. Iulii.

**C**Apua natus VITALIANVS virtutis præmium à patriâ Infulam tulit. Fuerunt tamen qui decus hoc inviderent alieno capiti, suo quærerent. Et placuit insuper, cum vel maximè seriò rem agerent, fabulam tamen dare. Dormienti vestes suas auferunt, & in locum muliebres reponunt. Has ad preces matutinas vocatus imprudens induit, & templum petit VITALIANVS. Enimverò ridentibus aliis non riserunt scelerum factores. Meretricio habitu contemeratam Infulæ maiestatem clamant. Proditam tandem histrionicam vel ab ipsâ nocte sanctitatem. Parum fuisse cum mulieribus noctes, dies agere, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc cives an non rectius colum quam pedum mulieri committerent. Si viri essent, non laturos sic stolatum Episcopum. Si expiare urbem vellent, monstrum (Episcopum feminam) aquis sepulturos. Quid multis? dum patrono caret innocentia, in mare abjicitur, non jam eluente sed faciente parricidium culeo. Sed quis innocentiam mergeret? Emergit more suo, & cælum ingratis civibus aquas & cum his segetem negavit, dum VITALIANVM revocarent. Unâ igitur VITALIANVS & imber è cælo missi excepti-  
que.